

TITULUS IV.

DE FORO COMPETENTI.

1. QUID FORUM COMPETENS?—2. CAUSÆ DE FIDE, DIVINO CULTU, ECCLESIE DISCIPLINA, CETERIS EJUSMODI.—3 ET 4. CAUSÆ MATRIMONIALES.—5. CAUSÆ BENEFICIARIE.—6. CAUSÆ DECIMARUM, ET FUNERARIE.—7. CAUSÆ DE IMMUNITATE ECCLESIE, DE EJUS BONIS ALIENANDIS, DE EJUS PRIVILEGIIS, AC JURIBUS, DE VITA, ET INSTITUTIS CLERICORUM.—8. CAUSÆ MAJORES.—9. CAUSÆ TEMPORALES CLERICORUM.—10. CAUSÆ EPISCOPORUM SUMMO PONTIFICI RESERVATÆ.—11. CAUSÆ VIDUARUM, PUPILLORUM, MISERABILIVM PERSONARUM.—12. REUS VOCANDUS AD JUDICEM, CUI SUBEST.—13. JUDEX DOMICILII.—14. CONTRACTUS.—15. DELICTI.—16. LOCI REI CONTROVERSÆ.—17. EX PRIVILEGIO.—18. CONTINENTIA CAUSÆ.—19. PROROGATIO JURISDICTIONIS EX CONSENSU LITIGANTIUM.

4.

ILLUD in primis, cum aguntur judicia, curandum est diligenter, ut ea coram legitimo iudice, sive in competenti foro exercentur. Nam acta in foro non competenti nullius momenti sunt, et impune non paretur iudici dicenti jus inter eos, in quos jurisdictionem non habet (1). Forum, seu forus (2), et exercendæ negotiationis, et agendarum litium locus fuit (3). Nobis de iudicis agentibus forus est iudiciorum locus, qui sæpe pro ipso iudicio sumitur. Competens autem forum est idem ac forum proprium, scilicet ubi iudex suam exercere jurisdictionem potest, et in quo reus conveniendus est (4).

(1) L. ult. ff. de Jurisdiet. L. ult. cod. Si à non competen. iudic. can. 7 caus. 2 q. 1, can. penul. caus. 11 q. 1.

(2) Forum, et forus latine dicitur, uti loquitur Isidorus c. 48 de Verb. signific., quem immerito reprehendit Poletus Histor. for. Roman. l. 1 c. 1; nam virile ejus nominis genus egregiis Latinorum scriptorum testimoniis ostendit Gujaciis in tit. Decret. de For. compet. opp. t. 6 col. 775 ed. Mutin. 1778.

(3) Confer præ ceteris Poletum l. c. 1 e. 1 et seq. In eodem foro, in quos res venales exponebantur, initio jus dictum fuisse, tradit Innocentius Cironius in Paratitl. Decretal. de For. competen.

(4) Hinc proprius iudex, competens dicitur in L. 19 ff. de Jurisd. et competens tribunal in L. 55 §. Non solum ff. de Procurat. Iudex autem non competens, incongruus appellatur in L. 1. Cod. de Jurisdiet. omm. jud.

2. Competentem autem forum, et iudicem facit in primis natura causæ, de qua quæritur, et persona rei, qui in iudicium vocatur. Causa si spiritualis sit, vel conjuncta rebus spiri-

tualibus, tantum ab ecclesiastico iudice noscenda, ac definienda est. Quare ad eum in primis pertinent causæ de fide, de religione, aut cultu divino, de sacramentis, de sacris ritibus, de Ecclesiæ disciplina. Nam eas cognoscendi potestas pendet à jure clavium, quod solis sacerdotibus à Christo concessum est (1).

(1) Præclara ea de re sunt Osii Cordubensis Episcopi verba apud Athanasium in Histor. Arianorum ad Monachos n. 44 opp. t. 1 par. 1 p. 295 ed. Patav. 1778. *Tibi Deus, inquit, imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concedidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita et tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Sapienter etiam Joannes VIII. in can. 11 dist. 96 *Si Imperator, inquit, catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ: quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere.... Ad sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi Potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectas.* Confer Cabassutum Theor. et prax jur. canon. l. 1 c. 9 n. 45 et 16; de Marca Concord. sacerdot. et imper. l. 2 c. 1 n. 4 et seq.; Doujatium Prænot. canon. l. 2 c. 2.

3. Verum ex causis sacramentalibus vix ullæ ad forum contentiosum deferuntur, exceptis causis matrimonialibus, quæ per cursum, ordinemque judiciale expediantur. Harum autem matrimonialium controversiarum, de quibus institui solent judicia, triplex est genus. Aliæ enim vim ipsam ieti fœderis, ac firmitatem attingunt; et hæ, cum respiciant naturam intimam sacramenti, tantum in ecclesiastico foro tractandi sunt (1). Aliæ pertinent ad vim sponsalium, atque ad jus instituendi divortii quoad torum, ac mutuam habitationem; et hæ similiter ecclesiastico iudicio noscendæ, definiendæque sunt (2). Nam respectum habent ad sacramentum matrimonii, quoniam ad illud contrahendum sponsalibus obligamur, ac per divortium jura utriusque conjugii matrimonio quæsitæ relaxantur.

(1) *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit,* inquit Synodus Tridentina sess. 24 can. 12 de Matrim. Tum sess. 24 c. 20 de Reform. hujusmodi causas non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio committendas, sed ab uno Episcopo cognoscendas esse statuit. Atque hoc quidem perpetuum Ecclesiæ jus fuit. Cum inter Lotharium, et Teuthbergam de vi matrimonii inter eos in iudicio quæreretur, actum ea de re est in synodo Aquisgranensi an. 860 et 862 apud Labbæum t. 10 col. 140 et 200, cumque ab ejus sententia Teuthberga provocasset ad Nicolaum I, Summum Pontificem, ipse hanc controversiam sæculari iudicio submitti non debere respondit, eamque commisit Synodo Metensi Ep. 23 apud Labbæum t. 10 Conc. col. 1451, Confer etiam acta Concilii Remensis apud Ordericum Vitalem l. 12 p. 859 inter Script. antiq. Hist. Norman. Duchesni ed. Paris. 1619, et Alexandrum II. Can. 10 c. 35 qu. 6, præ

terea opusculum Assisii editum an. 1784, Su l' esenzione de' Regolari etc. d
su le cause matrimoniali, quæque ipse scripsi l. 2 sect. 9 §. 115 seq. not. 1
p. 153 et seq.

(2) Cap. 10 de Spons., cap. 5 de Divort.
V. legg. 8 tit. 6 *Partitæ* 1; 7 tit. 1, et 7 tit. 10 *Part. 4.*

4. Aliæ denique sunt causæ, quæ aliquam quidem habent cum matrimonio affinitatem, sed directe spectant res mere politicas, ac temporales. Hujusmodi sunt causæ de dote, de donatione propter nuptias, de hæreditaria successione, alimentis, ceteris generis ejusdem; et hæc quidem sæculari judici committendæ sunt (1). Verum si quæ interim, dum hæc in laicali foro expendantur, oriatur controversia de jure connubii, puta de impedimento dirimente, inchoato judicio supersedendum est, cunctaque ecclesiastico judici adscribenda sunt (2). At ecclesiasticus judex ipse etiam cognoscit causas de hæreditaria successione, de dote, de similibus, si qua de his rebus incidat disputatio, cum de vi matrimonii, aut jure ad divortium quaeritur (3).

(1) Consule Bellarminum l. unic. de Matrim. cap. 52 p. 637 t. 5 opp. ed. Ven. 1721, et Tannerum t. 4 Disp. 8 n. 166.

(2) Confer Altaserram de Jurisd. eccles. l. 6 c. 3 §. Superest, Renatum Choppinum de Saer. polit. l. 2 t. 1 n. 16, Annæum Robertum Rer. judicat. l. 3 c. 5 et l. 4 c. 10.

(3) Cap. 1. Qui filii sint legit., c. 5 et 7 de Donat. int. vir. et uxor.

(N. S. In Hispania, quum judex Ecclesiasticus de valore Matrimonii cognoscit, alimenta uxori interim præstanda decernit; de dote vero, vel hujusmodi juribus temporalibus emergentes causas Judici laico dirimendas relinquit. Verum quia causæ legitimæ filiationis, scilicet, quum dubitatur, an aliquis ex legitimo Matrimonio natus sit, quippe quæ in validitate Matrimonii nituntur, ad Ecclesiasticum forum pertineant: cap. 5 de Ordin. cognit. et leg. 56 6 tit. *Part. I.*; quid, si laico de successione, vel alia consimili causa cognoscente, de filiatione dubium exoriatur? Jure Decretalium, causa hæc ad judicem Ecclesiasticum deferenda esset, et à laico, donec de legitimitate decideretur, supersedendum esset: eod. cap. 5. Moribus tamen nostris inductum est, ut si dubium de facto procedat, à sæculari judice progredi possit in causæ incidentis cognitione; non ita si dubium sit de jure: eo quod, ait Gonzalezius in cap. 5 laud. n. 15, laicus nedom incompetens judex sit, sed et incapax de juribus Matrimonii, uti spiritualibus rebus, judicare).

3. Causæ quoque beneficiariæ, quoniam spiritualibus accensentur, ad ecclesiasticum forum pertinent, sive de ipsa collatione, sive de instituendis, conjungendisve, aut dividendis beneficiis disputetur (1). Eadem est ratio causarum jurispatronatus, quippe quæ spiritualibus adnexæ sunt (2). Sed in locis

quibusdam, sive expresso privilegio Apostolico, sive diuturna consuetudine ab Ecclesia tolerata, inductum est, ut cum de his rebus possessorio judicio quaeritur, laico judici, cum petitorium agitur, ecclesiastico committantur (3).

(1) Alexander III. in c. 21 de Jurepatr. et in Ep. ad Episc. Gallæ in append. Concil. Lateranen. c. 55 t. 15 col. 626 collect. Labbæi.

(2) Cap. 5 de Judic.

(3) Consule Barbosam Jur. Eccles. l. 1 c. 59 num. 161. et seq., Thomasinum Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 2 l. 1 c. 56 n. 13, et Benedictum XIV. de Synod. dioces. l. 9 c. 9 n. 7.

(N. S. Sicuti in aliis Catholicis Regnis consuetudine inductum est, ut Judices sæculares de interdictis possessoriis Beneficiorum cognoscant, ita et in pluribus Hispaniæ nostræ Provinciis, videlicet in Gallæcia leg. 55 tit. 2 lib. 5 *Novis. Compilat.*, in Navarra *Ordinat.* 4 tit. 12 lib. 2, in Cathalaunia *Consult. ad Card. Ven. Rotæ Cathalaun. an. 1512*: Videsis Lopez in *Hist. Bullæ Cœnæ edit. an. 1768* pag. 54 n. 51: In districtu Cancellariæ Granatensis, si fides habenda sit Fariæ in *Addit. ad Covarrubias* cap. 55 n. 17. Et quamvis consuetudo hæc generatim in universo Hispaniæ Regno non obtineat, neque illam adprobare audeat idem Covarrubias; nihilominus ita laud. Cap. n. 2 suam aperit sententiam: « Non negamus, posse justissime Judices Regios, qui Prætoris adsident, et inibi jura partium Regio, et Supremo nomine tutantur, extraordinarie tractare causam possessoriæ, in qua de possessione Beneficii disputetur, ad effectum, ut quæta Respublica sit, ne fiat alicui injuria, et violentia, aut indebite possessione, quam obtinet, spoliatur. »

Causæ Jurispatronatus, quæ inter Beneficiarias recensentur, videntur fuisse quondam mixti juris in Hispania nostra, hac nempe ratione, quod Concilium Tolet. IX Can. 1, « Condignis filiis, aut nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui fundavit, vel construxit Ecclesiam, curam mandat, ut si Sacerdotem, vel Ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commotionis honestæ conventionem compescant, aut Episcopo, vel Judici corrigenda denuntient... Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differant. » Ubi animadvertere licet, *Episcopum, vel Judicem*, sæcularem scilicet, juxta sensum, in quo hæc vox à Gotthis usurpata est, compellere potuisse Sacerdotem, instante Patrono, ut integra bona Ecclesiæ servaret; quinimmo et Metropolitanum, si forte rerum Ecclesiæ fuisset fraudatur, Regio judicio subjiciendum. Unde constitutum est leg. 2 tit. 52 *Fori Cantabriæ*, ut Prætores judices sint competentes Monasteriorum, et Patronatus ejusdem Provinciæ.

At subsequētis temporibus, inducto novo Decretalium jure, hujusmodi causæ Foro Ecclesiastico privatim adjudicatæ sunt ab Alexandro III cap. 5 de *Judiciis*, et ab Alphonso nostro leg. 56 tit. 6 *Partit. 1.* Inter has tamen, causæ, quæ de præcedentia debita Patrono extra Ecclesiam agitantur, aut de retinenda sibi intra Ecclesiam Sede, aut Scanno, vel quum juspatronatus alicui fundo, oppido, sive feudo unitum est, ad sæculare julicium spectare, auctor est Gonzalezius in cap. 3 de *Judiciis* n. 8, et 9. Regii quoque Patronatus causæ, quin et eæ omnes, quæ eundem Patronatum respiciunt, jamdiu in Regii Tribunalibus dirimi consueverunt; at legg. 4 tit. 4 lib. 4, et 15 tit. 2 lib. 2 *Novis. Compilat.*, ad Supremum Reg. Camerae Senatam pertinere, constitutum est.) * V. leg. 6 Julii 1845, art. 11 §. 3.

6. Eodem loco sunt causæ decimarum; quinimo ecclesiastici iudicis est laicos ad earum solutionem cogere (1): sed hæc quæque causæ, cum de possessione controversia est, alicubi, vel privilegio, vel consuetudine, à laico iudice expenduntur. Par est ratio causarum funerariarum, in quibus agitur de concedenda, negandaque ecclesiastica sepultura, de ejus electione, de stabilendo tempore efferendorum, humandorumque cadaverum, et usu crucis parochialis, de tollendis abusibus, qui forte irrepserunt, de juribus funerariis inter ecclesias, et clericos dividendis (2). Quin etiam laici imperio episcopalis fori coguntur ad præstandas oblationes, quæ dari solent, nisi eæ sponte offerantur (3).

(1) Cap. 5 de Decim. Concilium Tridentinum sess. 25 c. 12 de Reform.

(2) Velus est regula, ut Ecclesia moderetur, et regat quæ ad fidelium sepulturam pertinent, ejusque legibus designetur locus, in quo illorum cadavera sepelienda sunt. Confer Concilium Bracarense I. quod aliis est II, can. 18 t. 6 col. 522. Collect. Labbæi, Arelatense VI. can. 24 t. 9 col. 521. Moguntinum I. in can. 18 caus. 15 qu. 2, et Moguntinum II. in can. 51 et 50 caus. 15 qu. 2, Agrippinense seu Coloniense in can. 28 dist. 4 de Consecr; item Theodulphum, Episcopum Aurelianen., in Capitulari ad suæ Parochiæ Sacerdotes c. 9, apud Labbæum t. 9 col. 186; Hincmarum Remensem in capitulis, quæ edidit an. 852, c. 12, apud Labbæum t. 10 col. 5 ed. Ven.; Attonem Verecellensem in Capitular. canon. c. 23, apud Dacherium Spicileg. t. 3 p. 10 ed. Paris. 1668; Decretalium titulum de Sepulturis; aliaque sexcenta monumenta, ex quibus patet, semper ab Ecclesia de fidelium sepultura leges fuisse constitutas.

(3) Cap. 42 de Simon.

(N. S. Laicos ad consueta funeraria jura persolvenda compellere, exsequiarum pompæ modum præscribere, funebres apparatus constituere, aliaque id genus, hodierni mores, Regiæque Sanctiones sæculari Potestati reservant. *Novell. Justin.* 59 cap. 2 et sequent.; leg. 9 tit. 1, leg. 2 tit. 5 lib. 1. et 2 tit. 15 lib. 5 *Novis. Compilat.* Qua de re laicus, qui defunctum humari vellet in Ecclesia, cui deest jus sepeliendi, aut in loco, et tempore interdicitis, à iudice sæculari puniri potest: leg. 5 tit. 15 *Part. I.* sicuti et sepulchri violatores, et cadaverum exhumatores: leg. 14 *ibid.*

Causas Decimarum ad Ecclesiasticum Tribunal pertinere, olim edixerunt Alexander III cap. 5, et 6 de *Decimis*, et Innocentius III *ibid.* cap. 26, et 52.

In Hispania aliter res se habet. Quum enim Tridentinum Concilium fuisset absque ulla limitatione receptum; hinc decimarum causas ad forum Ecclesiasticum pertinere, ipsius vestigiis inhærendo, edixit Collect. Tarracon. lib. 2 tit. 18 de *Decimis*, à cap. 5. Decimarum autem nomine, Primitiarum etiam, et Oblationum comprehenduntur, quas omnes Ecclesiastici iudicis peculiares esse agnovit Alphonsus Sap. leg. 56 tit. 6 *Partit. I.* Verum in fraudatorem Decimarum inquirere, illumque ad restitutionem compellere, et in ipsum animadvertere, Judex laicus potest: leg. 6 et 41 tit. 6 lib. 1 *Novis. Compilat.*; minime vero ad petitionem locatorum Decimarum inquisitio hujusmodi peragenda est; leg. 4 *ibid.*

Ad Supremum Castellæ Tribunal spectat recursus *novarum Decimarum*,

quum scilicet, Judex Ecclesiasticus jubet exsolvi Decimas ex his fructibus, de quibus non consuevit unquam exsolvi; vel quum *Redecimam* exigere intendit; tunc enim retinendam esse consuetudinem, via Protectionis declarat idem Supr. Tribunal: leg. 7 tit. 6 *citat.*; quem quidem recursum interponere quoque possunt personæ privatæ, ex Decret. ejusd. Supr. Senat. 24 Octob. an. 1761: not. 1 dict. tit. 6. Cognoscit itidem de violentiis, si quas forte perpetrent iudices Conservatores Ordinis S. Jo. Hierosolymitani, ejusdem Ordinis Equites eximentes à Decimarum solutione: leg. 9 tit. 6 lib. 6 ejusd. *Compilat.*

Adhæc 1 Supr. idem Senat. participes Decimarum cogit ad Ecclesiarum, ex quibus Decimas accipiunt, reparationem: *Remiss.* 2 *ejusd.* Tit.

2. Iudices Regii, sicuti de aliis quibusve causis Regiam auctoritatem, et Patrimonium respicientibus, ita etiam de causis Decimarum, quæ Regio Patrimonio unitæ sunt, cognoscunt: *Adnot.* 28 tit. 5 lib. 1 *Novæ Recop.*

5. Ad causas gratiam *Excusali* spectantes, erectum est Tribunal quoddam ex Comisario Generali S. *Cruciatæ*, et tribus personis Ecclesiasticis, una cum Reg. Fiscali coadunatum, uti decrevit Benedictus XIV Brev. 7 Sept. 1757).

7. Denique ecclesiastico foro addictæ sunt causæ, quæ clericorum vitam, et instituta respiciunt; itemque causæ de rebus Ecclesiæ alienandis, de ejus immunitate, similibusque juribus, ac privilegiis (1). Jure Decretalium etiam profana negotia, quibus jusjurandum adjunctum est, propter religionem, ad ecclesiasticum iudicem deferenda sunt (2). Generatim vero non agitur adversus contractum, quem quis jurejurando firmavit, nisi primum, ejus laxato vinculo, quod ab Ecclesiastica Potestate justis de causis fieri solet, agendi potestas data sit (3).

(1) Consule Gagliardum *Instit. Jur. canon.* l. 5 tit. 7 n. 51 et seq.

(2) Cap. 15 de *Judic.* cap. 5 de *For. competen.* in 6. Vide Benedictum XIV de *Synod. diœces.* l. 9 c. 9 n. 8.

(3) Vide Gonzalez in *cit.* cap. 1 de *Jurejur.* n. 10. Olim et contractus stipulatio, quæ sæpe coram ecclesiasticis notariis fiebat, plures laicorum lites ad episcopale iudicium deferrebat. Notariorum episcopalius usus antiquissimus in Ecclesia est, uti patet ex actis Conciliorum, et ostendit Valesius in *Not. ad Soerat. Hist. Eccles.* l. 5 c. 22 p. 251 ed. Taurin. 1747. Confer etiam S. Gregorium M. in *Sacrament. opp.* t. 3 col. 70, et Menardum in *Not.* 500 col. 543 ed. Paris. 1705. In *Capitulari Caroli M.* an. 805 c. 5 apud Baluzium *Capitular. Reg. Franc.* t. 1 col. 295 ed. Ven. 1772 statutum est, ut unusquisque Episcopus, et Abbas, et singuli Comites suum Notarium habeant; quod etiam cautum est in *capitular.* l. 6 c. 256 *ibid.* col. 645. Erant autem Episcopales Notarii ex ordine clericorum, quin etiam erant Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, cujus quidem rei multa collegerunt testimonia et monumenta Thomassinus *Vet. et nov. Eccl. discipl. par.* 4 l. 2 c. 106, et Muratorius *Antiq. Italic. dissert.* 12. Innocentius III. *Ep.* 129 l. 14 t. 2 p. 566 ed. Baluzii 1682 clericos in sacris ordinibus constitutos notarii munus vetuit exercere, quod cum dedecore ordinis ecclesiastici, sæculari curiæ servirent,

atque in profanis negotiis versarentur. Sed Thomassinus l. c. n. 3 simplicibus clericis nunquam notarii officium vetitum fuisse contendit, imo ne ipsis quidem Presbyteris, cum de ecclesiasticis rebus ageretur. Certe in profanis quoque negotiis notarii ecclesiastici, quod plus fidei, et peritiæ haberent, sæpissime adhiberi solebant; et hinc plures causæ, quæ propter rem ipsam, aut personas, laici tribunalis propriæ fuissent, à iudice ecclesiastico cognoscebantur. Synodus Tridentina c. 10 sess. 22 de Reform. cum animadverteret, quod ex notariorum imperitia plurima damna, et multarum occasio litium oritur, statuit, ut « possit Episcopus quoscunque notarios, etiam si apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quocumque in officio delinquentibus, officii ejus in negotiis, litibus, et causis ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi usum perpetuo, aut ad tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem Ordinarii suspendat. » Quod etiam sancivit Benedictus XIV, Const. Ad militantis 48 §. 3 t. 1 ejus Bullar. p. 84 ed. Rom. seu Ven. 1654.

(N. S. Jure Hispano, invadentes bona Ecclesiæ à iudice Ecclesiastico puniuntur; Syn. Penna-fidel. an. 1502 cap. 15; Vallisolet. an. 1522 cap. 18; Complut. anni 1547 cap. 2; et Collect. Tarracon. lib. 5 toto tit. 17 de Sent. Excomm., in quo imago quædam tunc in his usitati processus exhibetur, et regula videtur præscripta his, quæ constituenda essent à Syn. Trid. Sess. 25 Ref. cap. 11. Adde Leg. 58 tit. 6 Partit. I, quæ id genus causarum, tanquam de sacrilegii delicto, ad Ecclesiam spectare decernit, uti et omnes omnino in quibus sacrilegium involvitur; multis quippe modis erimen hoc perpetrari declarat Lex 18 *ibid.* At quum aperte edixerit Lucius III cap. 8 de Foro compet. sacrilegii reum sub qualicunque iudice conveniri posse; et aliæ Regni nostri Leges sacrilegii facinus Ecclesiastico foro adscribant: *indic.* Leg. 18 et Leg. 2 tit. 2 lib. 1 *Novis. Compilat.*; aliæ vero à laico cognoscendum esse, decernant: Leg. 9 tit. 18 Partit. I, leg. 2, tit. 2, et Leg. 6 tit. 5 lib. 1 *Novis. Compilat.*; videntur hujusmodi causæ habendæ ut *mixti juris*, atque adeo præventioni locum esse.

Reges nostri, ne juramenti tantummodo ratione quæsita, sese causis noscendis immiscerent iudices Ecclesiastici, constituerunt, ut laici in quacunque incunda obligatione à juri-jurandi interpositione abstinerent, sub pœna nullitatis, et gravissimis Tabellionibus pœnis impositis, si quam id genus obligationem conscriberent: Leg. 6 et 7 tit. 1 lib. 10 *Novis. Compilat.*

Causæ etiam Testamentariæ olim Ecclesiasticæ fuerunt: Fidelibus enim in usu fuit, jam inde à primis sæculis, Episcopis sua testamenta consignanda tradere, iisdemque eorum executionem committere, et quidem adsentientibus ipsis Imperatoribus: Leg. 28 *Cod. de Episc. et Cler. Authent. eidem Legi* subjecta. Quæ de re jure Decretalium. 4. Causæ omnes Testamentariæ, scilicet ubi de validitate, sollempnitatibus, aliisque id genus testamenti ipsa spectantibus ageretur, ad Ecclesiasticum Tribunal referebantur: passim in *tit. de Testamentis.*

2. Alexander III cap. 10, et 11 *ibid.*, omnem adhiberi fidem statuit Testamentis, præsertim ad pias causas, à Parochis, aliisque Presbyteris coram duobus, tribusve testibus conscriptis. Id quod Benedictus XIII in Syn. Rom. firmavit: tit. 20 cap. 1.

Demum 5. Si quis intestatus decedebat, usus invaluerat, ut Testamentum per Episcopum suppleretur, ac certa hæreditatis portione piis operibus reservata, reliquum hæredibus legitimis dispertiretur: Gonzalez in cap. 40, et 11 *ibid.* Thomass. part. 5 lib. 1 cap. 24. Eadem Synodus Rom. *ibid.*

cap. 2. At vero tria hæc capita sequitis temporibus, multas apud nationes, Ecclesiæ Tribunalibus adempta sunt.

In Hispania, Romano vigente jure, procul dubio Testamentariæ causæ in Imperatoris judiciis pertractatæ sunt, uti evincitur ex *tit. de Testam. Cod. Theod.* Verum sub Gotthorum Regum dominio, quum confusa, et permixta esset utriusque fori jurisdictio, ad Episcoporum iudicium deductas esse hujusmodi causas, colligitur ex Synod. Tolet. X, ubi testamenta Martini, et Recimiri Episcoporum producta sunt, et dubia de ipsorum executione suborta agitata sunt, et terminata, etsi Rex ipse Testamenti exsecutor relictus fuerit à Recimiro; unde nihil de Testamentis in *Foro Judicum* sancitum invenies. Abolita tamen præstantissima hæc iudiciorum forma, et adsignatis certis utrique Potestati limitibus, Regibus nostri hujusmodi causas sibi reservare, vel potius recuperare visum est in *Leg. 3 de Toro*. Si quis tamen intestatus obierit, hæredibus, qui non fuerint adscendentes, vel descendentes legitimi, injunctum est Leg. 5 tit. 20 lib. 10 *Novis. Compilat.*, quantam hæreditatis partem in funere, et suffragiis defuncti impendere; et ad id, post annum elapsum, à suis competentibus iudiciis posse hæredes compelli. Sed quum nonnulli hæc abuterentur lege, Carolus III Pragm. Sanct. 2 Februarii an. 1766, quæ inserta est Leg. 14 ejusd. tit., eam ad praxim revocandam, nihilque de ea detrahendum, neque ei addendum constituit, decernens, à nullo, sive Ecclesiastico, seu Sæculari iudice, *inventarium*, ut vocant, de rebus defuncti posse confici; sed integra defuncti bona legitimis hæredibus esse deferenda, quorum quidem curæ sit de funere defuncti, juxta Regionis morem, et personæ conditionem, providere, atque ad id, à suo unumquemque hæredem competentem iudice cogi posse.

Antiquitus jure æque Civili, ac Canonico, Episcopis facultas erat prospicere, ut piæ fidelium dispositiones executioni mandarentur, atque adeo fideles, etiam laicos, ad eas implendas adigere: Leg. 28 *Cod. de Episcop. et Cler.*; Justin. *Novell.* 151 cap. 2; cap. 3, et 17 de *Testam.*

At in nostro Regno, Episcoporum curæ est, ut testamenta executioni mandentur; quocirca post elapsum ab obitu testatoris annum compellere possunt testamentarios, aut hæredes, ut præscripta in testamento legata omnino impleantur: Syn. Hispal. an. 1512 cap. 9; Collect. Tarracon. *toto tit. 14 de Testamentis*; leg. 7 tit. 10 Partit. VI; et leg. 7 tit. 5 lib. 10 *Novis. Compilat.* Unde Visitatores deputantur ab Episcopis, ut testamenti exemplaria examinent, eaque executioni mandari cogant. In quibusdam tamen Provinciis munus hoc proprium est Magistratum. (Videsis Gregorium Lopez ad præf. leg. 7.)— In praxi, tanquam *mixti fori* habentur hæc causæ, ut observant Barcinon. Selvagii Edit. tom. 3, pag. 57.

(N. S. Quum Canones, et Leges, quæ jus Immunitatis localis constituunt, nihil de hujusmodi controversiarum iudice decernant, dubium jamdiu exortum inde est, cuinam ex utriusque fori iudiciis earundem causarum cognitio pertineat. Quamvis enim Gregorius XIV, Motu-proprio *Quum alias* 9 Kalend. Junii an. 1591, inserto Collect. Tarracon. tit. 51 de *Immunit.* lib. 3 cap. 3, causas *immunitatis* spectare ad Ecclesiasticum tribunal edixerit, non tamen generatim Constitutio hæc recepta fuit in Hispania; quin et de ea supplicatum fuisse, refert Nota margin. ad leg. 6 tit. 4 lib. 1 *Nov. Recop. anti-quæ edit. Matrit.* an. 1640; ita ut in unaquaque Provincia is sit peculiaris hujusmodi causarum iudex, quem legitima præscripserit consuetudo. Apud Navaros Curia Major Regni cognoscit. In Aragonia usque ad Reginæ Eleonoris Concordatum, coram sæculari iudice causæ istæ agitabantur; dein vero cumulative, ut ajunt, à duobus Arbitris, alio ab Ecclesiastico, alio vero à